DISCURSUS JURIS PUBLICI
De
SUCCESSIONE ET ELECTIONE IN IMPERIO ROMANO-GERMANICO.
Ad A. B. Tit. II.

QUEM

Annuente Divinô Numine,
Consentiente etiam Magnificô JCtorum Ordine
SUB PRÆSIDIO
Viri Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi ac Excellentissimi

DN. JOH. VOLK. Bechmann/
JCti & Antecessoris famigeratissimi, Consiliarii Saxonici, Facultatis Juridicæ, Curiæ Provincialis & Scabinatûs Adsessoris gravissimi, & h. t. DECANI spectatissimi.
Domini Doctoris & Fautoris sui atatem colendi

IN ILLUSTRI SALANA
Ad diem Augusti
Locô Horisque Consuetis
Publico eruditiorum examini sistit
CAROLUS HÆCKHLBERGERUS,
ab Höhenberg. Eques Austrius
AUTOR - RESPONDENS.

JENAE
Typis Johannis Jacobi Bauhoferi.
Anno cIↃ. IↃc. LXIV.

PRAEFAMEN.

INveteratum illud Gallorum proverbium: Papę par voix, Roy par nature, Empereur par forçe. Papa fit votis, Rex naturâ, Imperator vi. Procul dubio inde natum est, quod aliquot Cæsares, ut Vitellius, Vespasianus & alii, violentâ militum designatione proclamati sint, unde fermè tunc temporis designatio Imperatorum â solo exercitu pendebat. Regem naturâ fieri dicunt illum, qui regnum hereditariô jure possidet, utpote in Gallia, Dania, & aliis regnis successivis, in quibus Imperantes non eliguntur sed nascuntur. Sed hodiè longè alia est facies Imperii nostri Romano-Germanici, quippe in quo Imperator neque Senatûs, neque Militum neque Populi voto, neque Successione ad Imperatoriam dignitatem evehitur, sed aliâ planè ratione dignitas hæcce summa defertur, de quâ & vetere & hodierna plura dicturi sumus in sequentibus. Sed licet fortè censoria quorundam nobis subeunda sit virgula; qui materiæ sublimitatem, extrà

Joach. Ernest. Dux Holsat. ap. Frieder. Achill. in Orat. pro Gallia.

ingenii nostri captum, positam ponderantes, virium præsentiam desiderent. Speramus tamen etiam censores æquos, qui ausis nostris faventes, si aliquos commissos errores deprehenderint, ignoscent, perpendentes illud omnium ore tritum: In magnis & voluisse sat est. ALEA JACTA EST, JESU BENE COEPTIS ADSPIRA!

Thes. I.

ARistoteles, Philosophorum illud oraculum, Regnum cum Politia quam vocant & Aristocratia conferens, tandem non leve Monarchiæ movet dubium, dicens: *Si autem iam aliquis statuerit, optimum esse civitatibus Regem habere, quomodo se habebunt, quæ faciunt ad filios? Utrum & sobolem oportet regnare? At natis illis, quales contigit aliquando nasci, detrimentosum est. At non tradet Pater, cùm hoc in manu ipsius sit, liberis. Verùm de hoc non pronum est ipsi fidem habere; majorisq; virtutis est, quàm natura humana ferat.* Accurata certè & civilis prudentiæ magistrô digna dubitatio. Non multum hic abit Barclajus, Scriptor ille acutissimus, & arcanorum politicorum maximè gnarus, in sua Argenide, nervosum satis, ut solet, atque altiori indagine dignissimum instituens colloquium de convenientissimo Imperii genere. Ibi cùm maximè disputasset pro eo, quô populus aut verò optimates potiuntur, quòd major sit libertas, (quâ nihil suavius aut cum natura convenientiùs) ubi populus suis vivit legibus, qui magistratûs facere ac deprimere potest. Tandem

3. Pol. II. p. m. 205.

Lib. I. p. m. 108 & seq.

rem

rem altiùs perpendens, & pericula quoque, quibus forma administrandi Rempublicam, Popularis & Democratica ut plurimùm involutæ sunt, considerans, utpote cùm hic ad seditiones; ad furorem; ad captandi populi atque fallendi consilia aptare sese solent improbæ ac factiosæ mentes, Imperium unius cæteris Respubl. administrandi formis præferens, multis hinc inde rationibus adductis, concludit: Unius Imperiô rem melius geri. Exemplô Reipublicæ Romanæ, quæ etiam salva esse non potuit, nisi *ad unum devolutô Imperiô*. Sed prælatô jam unius Imperiô plurium gubernationi, ulterius tamen dubium movet de Præstantia Successionis & Electionis in Regno. *Tacitus. lib. I. Annal. c. I X. vers. 4.*

Thes. II.

ET verò acerrimè hodiè conflictari videas præstantissimos quosvis Viros, præstetne nasci Imperantes quàm eligi? Aliis pro Successione, aliis pro Electione in arenam descendentibus. Argumenta hinc & illinc afferri solita, qui recensere velit, face haberet opus atque viaticô, ut Planti verba mea faciam. Quin nec utraque pars omni destituitur ratione. Ut enim quasi aliud agendo rem maximi omninò momenti consideremus: Quis non succesfioni suum relinquat locum: Quod I. quietum magis ac firmum reddat imperium, nec in ea perinde ac in Electione crebra id venent interregna, quæ tamen Reipublicæ semper maximè noxia extitere, in eo quippe discrimine tunc posita est Respublica, quô navis in fluctibus gubernatore carens. Scitè Zamoscius Interregnum parturienti mulieri comparavit, propter gravissimos & acutissimos dolores, quibus Regna atque Provinciæ eô tempore exercentur. Quod II. major sit Autoritas Succeden- *Conring. in Disp. de Regn. & Tyrann. th. 63.*

cedentium, utpote qui regiò sanguine nati sint. Egregiè Dunalb. apud Barclajum: *Ubi fortuna regnandi stirpe in una consenuit, Regum præteritorum reverentia adeò vivit in posteris, ut vel cuna puerorum in purpuram natorum tacitâ confessione sortis nostrâ nos tangant, nec iis parere indignamur, quos priusquam lucem subeant, scimus nasci ut imperent.* Quod III. meliùs administrent regnum illi, qui liberos sibi successores nôrunt. Quod IV. meliùs imperare possit hæres, quipPe qui negotiis Imperii à puero innutritus fuit. Taceo nunc alia argumenta, utpote quæ videre sunt apud Piccartum ad 3. Pol. XI.

Argen. lib. I.

Vid. Dn. Limn. Tom I. Juris Publ. l. 2. c. 3. num. 12.

Thes. III.

CEterùm nec argumenta pro electione adferri solita omninò merentur haberi insuper. Solet verò hic maximè urgeri. I. Justum esse, ab omnibus Imperatorem eligi. II. Subditos benignius haberi ab eo, qui novit ambulatoriam esse suam potestatem, & se mortuô ad alium transituram. III. Puerum Reipublicæ fasces capessendi incapacem, atque fœminam, ab administratione electio excludit. IV. Melius imperare poterit electus, cùm etiam aliquando paruerit. Hinc Casparum Slikium, qui trium Imperatorum, Sigismundi, Alberti & Friderici III. Cancellarius fuit, optasse ferunt, omnes Reges aliquando privatos pauperesque fuisse, ut quales se ergà privatos & miseros subditos exhibere oporteant, considerare facilius possent.

Conring. Disp. de Regn. & Tyrannu, th. 71. 72.

Thes. IV.

HÆcce utriusque partis in medium allata argumenta hâc vice adduxisse sufficiat, aliàs enim longè plura coacervari solent, quæ si lubet, vide apud Arnisæum. Nos in Cl. Conringii descendimus sententiam,

Relect. Pol lib. I. c. 4. 3. 4. Disp. de Regn. & Tyrann. th. 75.

stiam, qui nempe, cùm utrinque argumenta satis firma & evincentia esse agnoscat, neutri parti temerè adstipulandum esse, pronunciat. Quod scilicet usus in aliquâ Republicâ firmavit, id omninò retinendum, & sive successio sive electio obtineat, à neutra temerè discedi debet, cùm omnis mutatio, præsertim in Republica sit periculosa. Ea prætereà est natura rerum humanarum, ut nulli omni ex parte satis sit cautum. Jam scopi nostri memores ad rem ipsam nos accingimus, *occasione Tit. 2. Aureæ Bullæ* quo hodierna eligendi ratio traditur, successionem & electionem Imperatorum etiam priscam investigaturi, inprimis à Carolo M. facto initio.

Reinking. de Reg. Sec. & Eccles lib.1.cl. 131. c. 2. n. 4.

Thes. V.

IMperium Romanum ab initio statim hæreditarium fuisse videtur. Augustus enim à Julio Cæsare testamentò fuit institutus. Hic rursus Tiberium, Tiberius Caligulam hæredem regni reliquit. Et sub Tiberio, Cajo & Claudio, unius quasi familiæ hæreditatem imperium fuisse, finitâ verò Juliorum, Claudiorumque domô, optimum quemque adoptationem invenisse scribit Tacitus. Translatô verò Imperiô in stirpe Caroli M. ad Germanos, hæreditarium planè fuisse, quis dubitat? procul dubio enim Imperatoria dignitas ad Carolum M. eô modô, quô illam tenuere Constantinopolitani, est translata, quippe in quorum jura successit. Sed testem lubet ad vocare Eginhardum, Scriptorem coævum, rerumque Caroli M. haud ignarum, (utpote ejusdem Cancellarium ac postmodum Generum) si verus est Lehmannus. Ille in historia Caroli M. ita loquitur: *Extremò vitæ tempore, cùm jam & morbo & senectute premeretur, evocatum ad se Ludovicum*

I. Hist. XVI. num. 2.

Reink. de Reg. S. & E. lib. 1 cl. III. c. 2. n. 19.

Chron. Spir. lib. 3. 32. Ex. edit. Bæcl p. m. 115.

vicum Aquitaniæ Regem, qui solus filiorum Hildegardis superer at, congregatis solenniter de toto Regno Francorum primoribus, cunctorum consiliô consortem sibi totius Regni & imperialis nominis hæredem constituit, impositôq; capiti ejus diademate, Imperatorem & Augustum jussit adpellari. Nihil est, quod nos hic moveat Magister Jordanus, cujus Chronicon eô volumine, quô complexus est scriptores de Jurisdictione Imperiali & Ecclesiastica, edidit magni nominis JCtus, Simon Schardius. Ille Jordanus enim, nescio quâ motus ratione, ab ipso Carolo M. Electorum originem arcessere non dubitavit, nec ipsi, qui adplauderent, planè fuerunt nulli. Perinde ut nihil tam absurdum fuit unquam, quod non ut Cicero dicit, Philosophorum aliquis defendendum sibi sumsit. Ceterum, iste error ex illis quæ paulò post subsequentur, clarior erit, satisque luculentè

lib. 2. de S. R. I. Septemviratu c. 2. confutabitur. Explosus verò jam tum est à Christophoro Gewoldo, Jurisconsulto & Consiliario Bavarico, aliisque multis. Iisdem fundamentis nituntur, adeòque falluntur non minùs, qui originem capitulationis ita dictæ ad Carolum Magn. referunt. Cùm enim *in Carolo imperium inceperit, & ut hæreditarium ab ipso in posteros translatum sit, verisimile non est, eum vel posteros de re sua sibi leges poni passos fuisse*, respondet hic magnum quondam illustris hujus Salanæ decus,

Tom. 4. Jur. Publ. disc. 4. Dominicus Arumæus. Quodipsum, cùm præsumtione non invalidâ nitatur, nos quidem ne sexagenarios temerariô ausu ponte dejicere velle videamur, non litigabimus, quamvis probatione contrarii aliis

Proleg. ad Capit Sect. 3. n. 19 præsumtio hæc sublata videatur. Vide Celeberrimum Joh. Limnæum.

Thes. VI.

Thes. VI.

Ludovicus itidem, ex liberalitate in sacros ordines Pii nomen adeptus, post varias infortuniorum procellas, (ab ipsis enim filiis, dum ad castra eorum procedit, putans se honorificè haberi ab iis, custodiæ mancipatur, & regno exuitur) pristino statui restitutus, consortem Imperii adsumsit Lotharium, filium primogenitum, illumque in generali conventu, quem Aquisgrani habuit, coronavit, ceteros filios Reges adpellatos, unum Aquitaniæ, alterum Bojoariæ præfecit. Fratres tamen hâc non contenti divisione, grande sibi invicem post obitum Patris bellum intulerunt. Clarius rem enarrat Lehmannus cujus verba majoris elucidationis gratiâ huc ponimus; sic verò habet : Welcher /(nemlich Lotharius) alsbald nach seines Vatters Todt zugefahren / und seines Bruders Theil in Franckreich in seine Gewalt zubringen sich unterstanden / ist derohalben aus Italien nach Ach verreist / und dieselbe in seine Gewalt gezogen / die Fränckische und Teutsche Fürsten / Graffen und Städte in seine Gelübd genommen / und seinen Brüdern Ludovico und Carolo zu entbothen: Er wolte sich versehen / sie würden Ihm in die Hoheit des Kayserthumbs nicht Eingriff thun / sondern vollkömliche Regierung über das gantze Reich verstatten und Ihme gebührlichen Gehorsam erweisen / hingegen wäre Er uhrbietig / Ludovico Beyern / und Carolo Aquitanien / so Sie es gebührender Weiß

Cluv. Epit. Hist. p m. 415. Idem. p. m. 419

Carolus Sigonius de Regno Ital. lib. 5. pr. Chron. Spir. l. 3. c. 39.

 suchten /

suchten/als ein Lehen einzureumen. Quô petitô ad iram commoti fratres, arma invicem suscipiunt, in qua congressione plus centies mille militum interiêre. Demum ipsis de conditionibus concordiæ inposterum servandæ convenit, quas ipsas, si lubet vide apud ante laudatum Lehmannum. Eademque posteà succedendi ratio in stirpe Carolina obtinuit, ut regna inter liberos regios dividerentur, ita tamen ut omnia manerent libera, & nullum in alterum sibi aliquod jus vindicaret. Frustrà itaque omninò sunt, qui jus primogenituræ quod vocant, quale hodiè passim invaluit, ab omni retrò ævo in Francorum terris obtinuisse, asserunt. *Omninò enim in quæstionem trahi potest*, inquit Vir in laudem Juris Publici natus olim & compositus Limnæus, *quomodo evenire possit, ut primogenitus solus in Feudis succedat secundùm jus Francorum.*

Loc. cit. lib. 3. c. 40.

Thes. VII.

LOtharius Imperator vivus Imperium divisit inter filios, cessâ Cæsareâ dignitate Ludovico. Ita enim Gothofredus Presbyter Viterbiensis, à sacris scriniis Conrado III. & Friderico I. longè dignissimus multôque rerum usu clarus, in Chronico, quod Pantheon vocavit: *Lotharius Imperator tribus filiis suis, regnum, quod eum contigerat, partitur. Ludovico Italiam cum nomine Imperatoris, Lothario Lotharingiam, Carolo provinciam tradens. Ipse verò ordinatis omnibus, in Prumiensi monasterio, decimo sexto imperii sui anno post mortem Patris, monachus efficitur. Vide*, (inquit ulterius) *ad quantum defectum Romanum Imperium devenerit, scilicet, ut in tres partes divisô regnô Francorum tertia partis tertia pars esset ejus imperium.*

Dn. Limnaus Tom. IV. J. P. addit. ad. l. 1. c. 5. p. 12.

Thes. IIX.

Thes. IIX.

ET tunc quidem temporis, cùm Italiæ Domini, Imperatores dicerentur, peculiares suos Reges Germania habebat, idque primò videre licet in Ludovico Pii filio, quem Germanicum vulgò vocant. Sic enim Johannes Trithemius prius Abbas Spanheimensis, post Würziburgensis, partitionem inter filios Ludovici factam referens, ait: *Regnum Francorum Germaniæ perpetuò per se habeat proprium Regem nulli penitùs mortalium, ne Romano quidem Imperio subjectum, sed pristina Francorum consuetudine liberrimum. Regnum quoque Francorum, Gallorum à nostro divisum, simili modo regem uti constitutio fecit proprium habet liberum, qui non minùs quàm Rex Germaniæ liber sit & nulli omninò subjectus. Manifestum enim est, quòd Franci ab origine semper fuerunt liberrimi, & neque Romanis, neque alteri alicui certè unquam servierint, aut extiterint subjecti. Quin potiùs ipsi destruxerunt Romanorum Imperium, sibique fecere subjectum. Et propterea reges ambo in divisione regni pristinam libertatem Francorum ubique alter alteri illæsam servare statuerunt.* Nithardus Scriptor coævus, Caroli M. ex filia Beretha, ut ipse de se fatetur, nepos, legationibus functus inter Ludovici Pii filios, clarus opere, quô dissidium hocce fratrum persequitur, post fatalem inter fratres pugnam missos à Lothario Legatos scribit ad Carolum & Ludovicum, qui nomine Lotharii diceret: *Si vellent illi aliquid supra tertiam partem regni propter nomen Imperatoris quod illi pater illorum concesserat, & propter dignitatem imperii, quam avus regno Francorum adjecerat, facerent, sin aliter tertiam tantummodo partem totius sibi concederent, regeretque quisque illorum portionem regni sui prout melius posset, fruereturque alter alterius subsidiô & benevolentiâ.* Non malè

Dn. Limnæus lib. 2. de Not. Regni Franciæ c. 1. p. 318.

In Ann. Franc.

lib. 4.

2. Chron. Sp. 46. hinc infert Christophorus Lehmannus, plus dignitatis Majestatisve quàm terrarum aut Jurisdictionis secum traxisse dignitatem Imperatoriam, tantumque Ludovicum & Carolum in suis potuisse Regnis, quantum Ludovicum in suo Imperio. Quamvis diligenter observaverit rerum Germanicarum peritiâ nemini secundus Melchior Goldastus primogenito ex Regis Francorum filiis, primam sedem autoritatemque quandam & observantiam datam.

Sen. l. 2. c. 6. num. 9.

Limnaeus Tom. 4. J. P. addit. ad. l. 1. c. 5. p. 12.

Thes. IX.

Chron. lib. 6. c. 6.

Chron. Spir. l. 3. c. 45.

Ludovico Germanico tres erant filii, dicit Otto Frisingensis, qui conventione factâ regnum paternum dividunt. Ita Lehmannus: Nach König Ludwigs Absterben / haben seine drey Söhne / Carolomannus, Ludovicus und Carolus genant Crassus, das König-Reich / inmassen dasselbe Ihr Vater bey seinen Lebzeiten zu Forcheimb Anno 872. vertheilt / ein ieder seinen Theil eingenommen und regiert. Et sic divisô post obitum Ludovici Germanici regnô, Carolus, Ludovicus & Carolomannus singuli suam regni partem propriâ autoritate tenuerunt, ut constat ex historia Landgraviorum Thuringiæ. Quemadmodum tunc Imperii Italici sedes primaria erat Roma, ita Imperii S. Regni Germanici vel Teutonici cis alpes principalem sedem voluit Carolus M. Aquisgranum, quâ de re extat constitutio apud Goldastum quam notis illustravit. Hanc verò cur Regni sedem hodiè nostri Imperatores non incolant, conjectu facillimum, at cur non certam aliam constituerint, admiratione haut caret.

Cap. 6.

Tom. 2. Const. pag. 8.

Limnaeus Tom. 1. J. P. c. 7. n. 14

Thes. X.

Thes. X.

HOc modô regnum Germanicum in tria alia regna dispesci cœpit. Verùm bonô fatô accidit, ut statim post Carolomanni & Ludovici, (si de legitimè natis sermo sit) obitum, cùm alia tùm tria hæc Germaniæ regna in unam iterum Rempublicam coaluerint sub Carolo fratre tertio, qui à corporis obesitate Crassus audit. Et verò exinde summo Germaniæ commodo, nulla Regni, Germanici quidem, quale illud Primum Ludovicus Pii filius nactus est, Germanici inquam regni divisio facta est.

Thes. XI.

LUdovicô Italiæ Imperatore, ut annales Fuldenses & Regino, Abbas Prumiensis, eum vocant, post fratres sine liberis mortuô, si non unicus saltim primarius hæres, utriusque jure erat patruus major natu Ludovicus Germanicus. Et si scriptori Appendicis Eutropianæ à Flacio editæ (est autem Ottonibus coævus Italus aliquis) credimus, ab ipso Ludovico illo Cæsare Successor dictus fuit Carolomannus, Ludovici Germanici filius natu maxumus. Verùm artibus quorundam effectum est, ut ad Carolum Calvum utraque dignitas perveniret. Quod ipsum etiam Lehmannus ait: Wiewol nach dessen Absterben der Keyserliche Titul von rechtswegen König Ludwigen in Teutschland / als dem ältern Bruder gebühret / und das König-Reich Italien / vermög Keyser Ludwigs Testament unter die Erben vertheilt werden sollen / so hat doch Carolus König in Franckreich / Calvus genennet / durch listige

lib. 2. Chron.

Chron. Spir. l. 2. c. 46.

Practtiken und grosse Gaben erhalten / daß Er zum König angenohmen / und Ihme der Keyserliche Titul ertheilt worden.

Thes. XII.

NOn tamen æquô animô tulêre hanc injuriam & Ludovicus Germanicus Pater & filii ejus, cumprimis Carolomannus: prout constat ex iis, quæ ex Annalibus Fuldensibus & Regione à Conringio memorantur. Lehmannus hunc in modum: Dieweil Dann Königs Caroli Beginnen und Fürhaben als unbillig und unzimlich angesehen worden / und König Ludwig darob insonders Mißfallen getragen / hat Er seinen Sohn Carolomannum mit einem zimlich Krigs-Volck in Italien / abgefertiget / ist auch an dem und nahe darbey gewesen / daß er Italien und Keyserlichen Titul in weniger Zeit seinem Vetter aus Handen genommen. Sed moliente hæcce Carolomannô, Ludovicus Pater ejus vitæ suæ extremum diem obiit, Caroloque Italia & nomen Imperatoris mansit. Carolus verò ut ferunt, novis honoribus auctus superbire cœpit, moresque cum titulo mutavit, sed & paulò post, nimirùm secundò post obitum Ludovici annô, vitam cum morte commutavit.

De Finib. Imper. c. 9. p. 79. Chron. Sp. lib. 2. c. 46.

Thes. XIII.

EX quibus videmus, admodum breve Calvi fuisse Imperium, vindicante Divinô Numine injuriam Regibus Germanicis illatam. Benè de illo scribit Regino: *Quod Regnum Italiæ magis in transitu viderit, quàm fruendo*

Ad Ann. 887.

fruendo potitus fuerit. Carolomanuus enim, Italiam omnem tenuit, licet abstinuerit à titulo Imperatorio, quod à Johanne Papa coronatus non esset. A Carolo autem Calvo, multùm imminuta est Francorum Cæsarea potestas. *Ipse enim,* ut differit Autor appendicis Eutropianæ apud Conringium, *veniens Romam renovavit pactum cum Romanis, perdonans illis jura regni & consuetudines illius.* Et pauló post: *Removit etiam ab eis Regias Legationes, assiduitatem vel præsentiam Apostolicæ electionis. Quid plura? cuncta illis contulit, quæ voluerunt, quemadmodum dantur illa, quæ nec rectè acquiruntur, nec possessura sperantur.* Et ut in fine habet: *Ab illo autem die honorificas consuetudines Regiæ dignitatis nemo Imperatorum nemo Regum acquisivit.* De Imp. Rom. Germ. c. IIX p. m. 46.

Thes. XIV.

CArolum Calvum non filius ejus Balbus, qui quidem Augusti nomen à Pontifice obtinuit, sed Carolus Crassus Carolomanni frater excepit, de hoc Lehmannus ita: Nach Königs Carolomanni Absterben/ hat sich sein hinterlassener jüngster Bruder Carolus/ König in Teutschland/ den man Crassum genennet/ ohne Verzug in Italien erhaben/ die Lombardey und gantz König-Reich in seinen Gehorsam gezogen/ fürters seinen Weg nach Rom genommen/ daselbst vom Papst Johann dem IIX. und dem Rath zu Rom stattlich empfangen und zum Keyser gekröhnet und ausgeruffen worden. Regino Prumiensis hunc in modum: *Anno D. J. 881. Carolus de Alemannia egressus Longobardorum fines occupavit, ac in paucis diebus totam Italiam* Chron. Spir. Lib. 2. c. 46.

in

in deditionem accepit, & Romam perveniens à Præsule Apostolicæ sedis Johanne & Senatu Romanorum favorabiliter exceptus cum magna gloria Imperator creatus est. Ex adverso ut Carolus Calvus Italiam brevi momento habuit, ita post illum Franciæ Regnum nemo, (nec enim est quod nos moretur, Ludovico Balbo obtrusum in Gallia Augustum nomen) quicquam juris sive in Regnum Italiæ, sive in Romani Imperii veteris reliquias Italicas Franciæ Regno asseruit. Nec enim quicquam moramur eos, qui per Caroli M. personam primùm in Gallos dicunt translatum Imperium Romanum (quod asserere non erubescit is, qui magni nominis JCto, Jacobo Cujacio, per scomma Anagrammatisticum audit Andius sine bono, Joh. Bodinus,) & à Gallis demùm in Germanos. Vide omninò Dominum. Limnæum. Et verò vix tolerandum est, quod antè hosce triginta annos M. Besianus Arroyus. Doctor Theolog. Parisiensis, libro quarundam quæstionum decisione speciosâ asserere non dubitavit, Imperium esse Gallicæ coronæ indivulsè nexum, & quotquot illud vel ejus partem detinent, esse injustos usurpatores, raptores, omnia armis Francorum esse repetenda. Ita verò describit Imperium, prout illud maximè sub Carolo M. fuit. Ceterum vesaniam Theologastri pauló postquàm sese exeruit, retudit Alexander Patricius Armacanus, Theologus, libró, cui titulus, Mars Gallicus, s. de Justitia armorum & fœderum Regis Galliæ. Quin quod inter alia argumenta maximè urget Arroroyus, nomen Christianissimi non esse usq; adeò Regis Galliæ propriũ, ut citrà Injuriam eô Imperator uti nequeat, per ea quæ differit Henricus Bebelius apud Goldastum, adde Dn. Carpzovium.

Method. Hist. c. 7.

Tom. 1. J. P. l. 1. c. 5. n. 3.

Polit. Imper. part. XI. n. 2.

De Leg. Reg. c. 2. Sect. 1. n. 16.

Thes.

Thes. XV.

EX eo tempore Italicum Regnum & Romanum Imperium aliæ ex aliis exceperunt turbæ; nam cum Italici proceres non minùs atque alii, Caroli Crassi auctoritate abolitâ, res novas molirentur, quin imò conjuratione factâ, potentissimi illorum Wido Spoletanus, & Berengarius Forojuliensis, alter Francorum, alter Italiæ Regnum sibi despondere haud dubitassent, Italia simul & Cæsarea dignitas Francis erepta ad peregrinos devenit. Egregiè verò de illis Italis Sigonius: *Seipsos prorsùs unà cum Ecclesia perdiderunt, ea tempora in Rempublicam inferentes, quibus nulla alia deteriora ac fœdiora fuisse Principum nequitia, vel populorum insania, in tota antiquitate reperiuntur.* Lehmannus ita: Daraus erscheinet / daß das König-Reich Italien vom Keyser Caroli Crassi Regierung in vielfältiger Beschwerlicher veränderung geschwebt. Tandem miserè afflicti Itali contrà quam sciverat Honorius & Italici juraverant Arnulphum Ludovici Germanici nepotem, Carolomanni filium naturalem, ut volunt, solicitârunt. Solchen Empörungen und Beschwernüssen abzuhelffen hat man kein ander Mittel erfinden können / dann daß Papst Formosus Hülf und Zuflucht zu den Teutschen suchen sollen. Darauf derselbe im Jahr 894. durch Brief und Pottschafften König Arnulphum erbethen / daß Er mit seiner Macht Sich in Italien erhaben / das König-Reich und den Keyserlichen Titul angenommen/

Lib. 6. initio.

Chron. Spir. lib. 2. c. 46.

C

und

und also die Hoheit wieder auf das Teutsche König-Reich gebracht. Ipse itaque Arnolphus non tàm hæreditariò jure, quàm Procerum liberiore consensu regnum est consecutus, legitimâ sobole Carolinæ familiæ in Germaniâ jam extinctâ.

Thes. XVI.

ANno DCCCC., defunctô Arnulphô, Proceres & Optimates ad Forcheim congregati in unum, Ludovicum filium præfati Principis, quem ex legitimo matrimonio susceperat, Regem super se creant, & coronatum regisq; ornamentis indutum in fastigio Regni sublimant, ceu memorant Annales Fuldenses, & consentit Regino Prumiensis. Coronatus ab Archiepiscopo Moguntino, Huttone, Rex Germaniæ est dictus. Nec tùm temporis temerè quis Augusti vel Imperatoris nomen usurpavit, nisi à Pontifice, more majorum consecratus. Arnulphi enim & ejus filii Ludovici ignaviâ incredibilique socordiâ cùm aliquot Italici Principes ab Imperio Francico descivissent, Italiæ Regnum sibi vindicantes, Imperii quoque insignia & titulos à Romanis Pontificibus per multos annos obtinuere, inquit Onuphrius Panwinius. Quamvis Arnulpho iniquior aliquantum videatur, quod coævi & vetustissimi Scriptores rerum germanicarum fortitudinem & res ab eo præclarissimas gestas memorent, ut parum abfuerit, quin Italiam injustis suis possessoribus liberasset, nî venenô fuisset sublatus. Filius ipsius Ludovicus juvenis, civilibus & Hungaricis bellis implicitus, ea, quæ imperii germanici gloria & splendor exigebat, facere non potuit.

De Comit. Imperat. c. 5.

Thes. XVII.

EXtinctâ ferè in Germania Carolinâ familiâ, omnis Fran-

Francorum & Saxonum populus, Germanicorumque Procerum concursus ad Ottonem, Ducem Saxoniæ fiebat, ad quem dignitatem Regiam devolvere cupiebant. Ipse verò ob senium illam recusavit, excusatione usus, se jam huic oneri ferendo imparem esse, aliàs nullum corporis laborem, nullam animi solicitudinem pro communi salute recusare. Minimè namque prudentissimum Heroëm fugit, cùm imperium à Carolina stirpe translatum ingentes motûs facturum sit, Duce opus esse, qui sciat, possitque ac audeat inter tela volitare, *exercitumq; non consiliô magis regere, quàm exemplô movere.* Itaque è consiliis dedit, ut talem quærant, *non qui ex imperio decus sibi expetat, sed imperio afferat;* Votum itaque suum in Conradum Franconiæ Ducem conjecit, quem opibus, robore animi & corporis, fide existimatione ac majestate pollere sciebat, quemque sustinendæ hujus rei moli longè aptissimum credebat. Hôcce, tanto Heroë dignô consiliô commoti Proceres, summum imperii decus in Conradum contulerunt. Idque, ut eò melius Reipublicæ prospicerent, non nisi sub certa pactione & lege, cujus inter alia membra, ut refert cuspin. & ex hoc Carpzovius, & hoc adjiciebatur, ut Conradus quidem Imperator salutaretur & sceptrum teneret, summa tamen rerum gerendarum administratio penes Othonem esset.

Comment. ad L. Reg. Germ. cap. I. Sect. IIX n. 43.

Thes. XIIX.

Wittichindus Corbeiensis monachus, quem Winduchindus vel Wittichildus alii nuncupant, ita scribit: *Regi Lothowico non erat filius, omnisq; populus Francorum atque Saxonum quærebat Ottoni diadema imponere regni. Ipse verò quasi jam gravior recusabat imperii onus:*

I. Annal.

nus: ejus tamen consultu Conradus quondam Dux Francorum ungitur in Regem: penes Ottonem tamen summum semper & ubique vigebat imperium. Otto Frisingensis ita: *Otto Dux Saxonum ab omnibus petitur: Princeps autem clarissimus Otto, tanquam seniô gravatus, Rex fieri recusabat. Conradus primus, consiliô Ottonis, qui regnum accipere renuit, consensu omnium, Francorum Rex creatur.* Non anxiè hic inquiremus multum, an ex familia Caroli M. fuerit Conradus, quod vel inter ipsos veteres rerum Germanicarum Scriptores non satis conveniat, patre quô, cujusve provinciæ Dominô satius sit noster, quamvis vero absimilia non videantur, sed cùm antiquissimis Scriptoribus sic satis conveniant, ea quæ habet sæpius nec tamen satis laudatus Lehmannus.

Chron. Spir. lib.3. c.51. & alibi.

Thes. XIX.

Conradum excepit Henricus, qui in aucupio inventus, auceps dictus est, huic liberrimâ quidem electione, Conradi tamen jam morituri consiliô regnum defertur. Luitprandus, Ticinensis Ecclesiæ primùm Levita, Diaconus postmodum, Episcopus Cremoniensis, Ottoni II. coævus; Conradum Proceres imperii ita alloquentem introducit: *Henricum Saxonum & Thuringorum Ducem prudentissimum, Regem eligite, Dominum constituite. Is enim est & scientiâ pollens, & justâ severitatis censurâ abundans.* Et post pauca interjecta: *cui ut obediatis, non tantùm consulo, sed & oro.* Apparet vel ex hisce, quàm regia Francorum dignitas unicè ex electione tùm dependerit, quod Conradus prudentiâ utique, rebus præclarè gestis, summâque autoritate nemini cedens ad fratrem Eberhardum, suamque adeò familiam, quæ stirpis Carolinæ, quàm Henricum, cum quò aliàs sibi non benè conveniebat detu-

Hist. lib.7. c.7.

detulisset. Merentur legi quæ habet Wittichindus Corbeiensis. Regino Prumiensis, vel potiùs continuator ejus ita ait: *Annô dominica incarnationis DCCCCXX. Henricus Dux, consensu Francorum, Alemanorum, Bavarorum, Thuringorum & Saxonum Rex eligitur.*

I. Annal pag. 9. Prout eum edidit Heinricus Meibomius.

Chron. lib. 2.

Thes. XX.

QVomodo excusi sint Reges Germanici, Italici Regni Imperii possessione, dictum est paulò antè, & claré satis exponitur à Lehmanno. Quin excepe-runt mox Germaniam Hungaricæ tempestates & bella civilia. Atque ita Ludovico, Conrado & Henrico Regibus, Italiæ ac Cæsareæ dignitatis recuperandæ cura sepofita est. De Henrico ita Wittichindus, monachus Corbeiensis in Saxonia, Ottoni primo coævus: *Perdomitis itaque cunctis circumquaque gentibus, postremò Romam proficisci statuit, sed infirmitate correptus iter intermisit.* De eodem Sigebertus Gemblacensis, monachus in Brabantia clarus circà tempora Henrici IV. & V. *Henricus licet in vincendis inimicis gloriosus fuerit, quia tamen pacificus erat, nullam operam dederat, ut effugatis ab Italia tyrannis, qui quasi conductitii mercenarii, alter alteri succedentes, imperium dilaniabant, benedictionem imperialem accepisset.* Cōnsentit, genere, fide & prudentiâ perinde illustris Otto Frisingensis: *Ipse post multa virtutis suæ opera dum ad obtinendum imperium Romam tenderet, decimo septimo regni sui anno diem obiit supremum.* Ceterum, quicquid turbarum tantum dederint injusti Italiæ possessores, id omne de Facto contigisse, nec quicquam legitimis Dominis derogasse, scribit Dn. Limnæus.

Chron. Spir. l. 2. c. 46.

Ad ann. 938.

Addit. lib. 1 c. 5. p. 15.

Thes. XXI.

OPtimo Patri successit filius haud deneger, Otto, ob

ob res præclarè gestas Magni nomen adeptus. Ita continuator Reginonis Prumiensis: *Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXXXVI. Henricus Rex, præcipuus pacis spectator, strenuusq́ paganorum insecutor, post plures fortiter & viriliter actas victorias, dilatis undiq; regni sui terminis VI. nonas Julii diem clausit extremum. Cui Filius Otto, consensu primorum regni, successor eligitur.* Hic omni laude major Italiam & urbem Romam, quam nonnulli malæ fidei possessores hactenus detinebant, suæ subjecit rursum potestati, Imperatorque omnium consensu dictus, omnem dignitatem Imperatoriam ad Germanos transtulit: ut id clarè ostendit Conringius. Ex quo deinceps factum, ut una & Regis Germaniæ & Imperatoris Romani constitutio fuerit, licet Imperatoriô nomine ante Coronationem Pontificiam sæpiùs abstinuerint.

De Imperat. Rom. c. 10.

Thes. XXII.

CAve tamen putes, hæreditariam successionem usu rursus introductam esse. Etsi enim ex Wittichindi verbis; quibus claudit I. Annal. ita videatur posse colligi, idem tamen non multū post ita sermocinatur: *Defunctô itaque Patre patriæ & Regum maximô optimô Henricô: Omnis populus Francorum atque Saxonum, jam olim designatum Regem à Patre, filium ejus Ottonem elegit sibi in principem.* Testis sat locuples est Ditmahrus, monachus primùm Magdeburgensis, hinc præpositus Walbecensis propè Helmstadium, ac tandem Episcopus Merseburgensis in Misnia, qui Antonio Possevino magni nominis Jesuitæ sincerissimus Scriptor audit: *Omnes Reipublicæ principes magnum Mechtildis Reginæ dolorem lenire cupientes, Ottonem filium ejus, Patris sui decretô ac petitione, unô ore in Regem sibi ac Dominum elegerunt, eleva-*

Sub init. lib. 2.

lib. 2. Chron.

in Biblioth. Select.

elevatis dextris conclamantes: Vivat & valeat Rex Victor in æternum: pariterq; cum eo ad Aquisgran. proficiscuntur. Et ibidem: *Indoles relicta posteritatis tristia Principum corda lætificat, & certos voluntariæ electionis hos fecit.*

Thes. XXIII.

LUcem hæc accipiunt ex ipsomet Wittichindo Corbeiensi, ubi pro seculi illius captu coronatio Ottonis Aquisgrani ab Hildeberto Archiepiscopo Moguntino peracta clarè satis describitur; sic enim Archiepiscopus Moguntinus, in sublimiori loco electum Regem collocans, ut à populo conspici posset, omnes qui copiosissimi novum Regem visuri confluxerant, alloquitur: *En adduco vobis à Deo electum, & à Domino rerum, Henrico, olim designatum, nunc verò à cunctis Principibus factum Regem Ottonem: Si vobis ista electio placet, dextris in cœlum elevatis significate.* Et verò ab antiquissimis usque temporibus apud Germanos Francosque obtinuit, ut electione quidem deferrentur regna, maxima tamen haberetur ratio, quæ hactenus Reges dederat, familiæ. Quod ipsum pro nobis probet Lehmannus.

Lib. 2. Annal.

Chron. Spir. lib. 2. c. 3.

Thes. XXIV.

DE Ottone secundo Reginonis, qui Abbas Cænobii Prumiensis in ditione Treverensi sub Ludovico & Conrado I. Regibus fuit, continuator ita loquitur: *Rex (Otto primus) in Italiam ire disponens, maximam suorum fidelium multitudinem Wormatiæ coadunavit, ubi consensu & unanimitate Regni Procerum totiusq; populi, filius Otto Rex eligitur.* Calculum adjicit suum Wittichindus Corbeiensis, ubi dicit: *Ab integro ab omni populo electus est in Principem.* Dithmarus Merseburgensis ita:

Ad Ann. 961.

Lib. 3.

ita: *Junior Otto Patre adhuc vivente electus & unctus iterum collaudatur à cunctis in Dominum & Regem.*

Thes. XXV.

DE Electione Ottonis III. refert Dithmarus Merseburgensis fide dignus testis & Scriptor, quod paulò antequam ad plures sibi eundum putaret, Otto secundus Veronæ comitia habuerit, in quibus à Proceribus Imperii eligi viderit filium. Verba habent ita: *Annô Dominicæ incarnationis* DCCCCLXXXIII. *Imperator Veronæ placitum habuit, & filius Imperatoris ab omnibus in Dominum eligitur.* Quæ posteà hic contigerint turbæ, audire lubet ex Sigeberto Gemblacensis Chronico; *Otto*, inquit, *tædio & angore animi deficiens Romæ moritur & de Imperatore substituendo inter Primates dissentitur, aliis filio ipsius, Ottoni III. Imperium deberi certantibus, aliis aliò, Imperatoris à filio, ejus Imperium transferri volentibus, ad Hernicum Ducem, filium Henrici, qui fuit frater primi Ottonis. Hic Henricus ipsum Ottonem puerum factiosè raptum, in custodiam tenet: sed Principes puerum de manu Henrici extorquentes, in regno sublimant.* Undecim verò annorum fuisse puerum cùm Imperator designaretur Otto, ex Cuspin in Ottone II. refert suprà laudatus Arumæus ad Aur. Bull.

Ad Ann. 983.

Disc. 4. p. 212.

Thes. XXVI.

EX iis, quæ hactenus sunt disputata, adparet quid sentiendum sit de eo, quod Arnisæus tres Ottones Romanorum Imperium jure hæreditariô tenuisse, asserit. Novum certè non est continuâ serie aliquot Imperatores ex eadem familia à virtute majorum non degeneres sibi succedere, imprimis apud majores nostros maximè in usu fuit. Saxoniæ nimirùm Duces Impe-

2. Relect. Polit. 5. Sect. 5. n. 34.

Imperium annos 117. Franconiæ 102. Sueviæ 110. Austriaci jam longè ultrâ 180. annos tenent, ait Limnæus. Nec turbet nos multùm Epilogus juris Weichbildici Magdeburgensis quod vocant, utpote introducens Ottonem loquentem, mentionem simul faciens Electorum. Epilogum namque non ab ea manu esse, quâ ipse liber est conscriptus, sole est clarius. Etenim Autor libri Ottonis IV. non unam constitutionem recitans, de Ottonibus tanquam dudum defunctis semper loquitur: quin artic. 3. mentionem facit Friderici I. & Henrici VI. Wichmanni itidem Archiepiscopi Magdeburgensis, quem à Friderico Barbarossa ex Episcopo Citicensi circà annum MCLIII. Archiepiscopum factum esse constat, quâ de re legi potest Otto Frisingensis. Scilicet ejusdem notæ hic epilogus est cum tabulis privilegiorum, quæ ab Ottonibus Magno ac Ruffo conditæ à sese vel potiùs exornatæ urbi Magdeburgo feruntur concessæ, quas itidem intrà trecentos proximos annos à falsario quodam, fallendi artem minimè tamen docto suppositas esse, certum est.

Tom. 1. J. P. l. 2. c. 3. n. 4.

lib. 2. de gestis Frid. cap. 6.

Conring. de Orig. Jur. German. c. 18.

Thes. XXVII.

Sub hoc, de quo proximè egimus Ottone & Gregorio V. Papa constitutionem esse factam, quâ, electione Imperatoris ad Septemviros delatâ, ceteri status omnes exclusi sint, communis Scriptorum sententia est, ceu refert *Onuphrius Panvinius*, & *Simon Schardius*. Imò ab Ottonis III. & Gregorii V. ævo annos ultrà quingentos probata non solùm Historicis, sed etiam Theologis, JCtis & Politicis, quos à tot seculis Germania, Italia, Gallia, Hispania, aliæque nationes produxerunt, inquit *Christophorus Gewoldus*. Nec verò Historicorum Germaniæ secuti temporis quisquam, antè

De Comit. Imperat. cap. 6.

De Orig. Elect. c. 2. pr.

De Septemvir. c. 5.

ante quidem Johannem Aventinum hanc constitutionem in dubium vocare sustinuit. Etsi enim falsitas suboluisse videatur, Jacobo Spiegelio, dubitasse tamen satis de illa habuit, ut forte alii multi. At Johannes Aventinus, vir solidæ eruditionis, rerumque antiquarum indagator sagacissimus, ut adversæ sententiæ Patrono, Simoni Schardio d. l. audit. 5. Annal. Bojor. haud dubitavit omne hoc commentum explodere.

In Annot. ad Guntheri Ligarin. lib. I.

Post eum *Onuphrius Panwinius*, doctissimô *de Comitiis Imperatoriis* libello non dubitavit testimoniis ex optimæ notæ quibusvis Autoribus petitis originem Septemviralis Electoratûs in seculum XIII. referre, priscô eligendi modô nonnisi post Fridericum II. sepultô. Huic sententiæ accedit historiæ omnis retrò ævi multum peritissimus Cardinalis *Baronius*. Præclarè idem probat *Christophorus Lehmannus*. Nihilominùs tamen ex eo tempore nonnulli veterem illam sententiam tutati aggressi sunt, face prælucente strenuô Romanæ Ecclesiæ Athleta, *Robertô Bellarminô*: qui ipse tamen sententiam suam candidè vi veri victus revocavit *in recognitione dicti libri*, quod vel ignoravit *Christophorus Gewlodus* vel in libro suo *de Septemviratu* dissimulavit. Singulari quoq; libello eam asserere est conatus contrà Onuphrium *Simon Schardius* libro aliquoties jam citatô. Contrà Lehmannum eadem cum Onuphrio sentientem maximè insurrexit *Christophorus Gewoldus*, qui tamen contrà Baronium, utpote hujus sententiæ antesignanum rectiùs arma corripuisset. Nostrum non est quicquam hic in alterutram partem determinare, sed rem in medio relinquentes, plura scire volentem ad citatos Autores remittimus, facimusque ipsi omninò cùm iis, quæ elegantissimô libellô de *S.R.I.*

Tom. X. Annal sub ann. 996. n. 90.

Chron. Spir. lib. 5. c. 17.

De Transl. Imperii, lib. 3.

Archi-

Archicancellariis & Cancellariis Imperialis aulæ cap.3. de Officiis secularium electorum & de Origine electoralis collegii disserit æternum illud Westphalicæ Nobilitatis decus *Bernhardus à Mallinkrot*. Sed ad id unde digressi sumus.

Thes. XXIIX.

QVæ circà Electionem Henrici, quem vulgò sed minùs rectè secundum adpellitant, contigerint, fide magnâ & prudentiâ Dithmarus Merseburgensis coævus describit: Cùm scilicet Henricus Sigfridi Archiepiscopi Coloniensis adplausum rogaret, respondit ille, libenter se assensurum, *quò melior & major pars populi se inclinaret*, perinde ut & Dux Lotharingiæ Dietericus, *qui se pars populi major & melior inclinaret*, securus expectabat, referente ante laudatô Dithmarô. Plures is electioni huic interfuisse narrat Proceres Regni, imò omnes Regni primates. Sic habet Otto Frisingensis: *Ottone ab incarnatione Domini M.I. mortuô sine hærede Otto ut III. Henricus, patre Hezilone, natione Noricus ejusdemq; gentis Dux ab omnibus Regni Proceribus electus LXXXVII. ab Augusto creatur*. Hic est Henricus, quem primùm Cæsaris nomine inclaruisse dicunt multi, inter quos est Canin. ad Aur. Bull. Verùm sive hoc de Germanica voce Keyser/sive de Latina Cæsar accipias, neutro modo placet Limnæo.

Chron. lib. 5.

Hist. l.6.27.

Tom. I. J. P. L. 2. c. 1. n. 26.

Thes. XXIX.

QVid post Henricum secundum, qui absque relictâ prole naturæ debitum solvit, in electione Conradi, quem secundum vel Salicum adpellitant, obtigerit, discere est omnium optimè ex Wippone, Sacellario Henrici tertii Conradi hujus filii, coævo, qui pro

ratione & captu seculi satis doctè vitam Conradi secundi descripsit. *Consedere*, inquit, *Principes : populus frequentissimus astabat. Archiepiscopus Moguntinensis, cujus sententia ante alios accipienda fuit, rogatus à populo, quid sibi videretur, abundanti corde, hilari voce laudavit & elegit majores ætatis Cunonem suum in Dominum & Regem & Rectorem & Defensorem patriæ. Hanc sententiam ceteri Archiepiscopi & reliqui sacrorum ordinum viri indubitanter sequebantur.* Post pauca interjecta. *Tunc singuli de singulis regnis eadem verba electionis sæpissimè repetebant. Fit clamor populi, omnes unanimiter in Regis electione Principibus consentiebant, ipsum cunctis dominantibus nihil hæsitando proposuerunt.* Plura testimonia vide apud Onuphrium, nec enim ea omnia adducere operæ est pretium. *De Comit. Imper. c. 6*

Thes. XXX.

I*Mperator Conradus filium suum, Henricum magni ingenii & bonæ indolis puerum, ætate XI. annorum, Principibus Regni cum tota multitudine populi id probantibus, à Perigrino Archiepiscopo Coloniensi in regalem apicem apud Aquisgrani palatium sublimari fecerat.* Verba sunt suprà laudati Wipponis. *In vita Cunradi Salici.* Optimus fuit Imperator & vel hóc laudandus nomine, quod officia Ecclesiastica nonnisi dignissimis conferri voluerit, dicens : *Sicut mihi Dominus coronam Imperii solâ miseratione suâ gratis dedit, ita & ego quod ad relligionem pertinet, gratis impendam*, ceu Baronius refert. *Ad Ann. 1047.*

Thes. XXXI.

I*Mperator Henricus magnô apud Triburiam conventu habitô, filium æquivocum à cunctis eligi fecit, eiq; post obitum suum, si rector justus futurus esset, subjectionem promitti fecit,*

cit. Sic refert Hermannus, qui monachus cœnobii Augiæ majoris, natus illustri Veringensium Comitum sanguine, à membris contractis, contractus adpellari solitus, cujus chronicon de sex mundi ætatibus exhibet Christianus Urstisius, plenius tamen Henricus Canisius.

Tom. Script. rer. Germ.
Tom I lect. Antiq.

Thes XXXII.

VEl ex iis saltim, quæ hactenus adduximus testimoniis, verosimile alicui videatur, non à Principibus solis factam fuisse electionem, quod subinde omnium, cunctorum, totius denique populi fiat mentio. Et quamvis Cardinalis Bellarminus civitates consortio eligentium vel post Ottonem III. saltim excludere non dubitaverit, vix tamen est, ut id tutò liceat asserere, ob multa hactenus adducta veterum testimonia, quæ populi faciunt mentionem. Populum autem includere civitates vel ipsa recta ratio docet. Quin Radevicus, ubi veteres Scriptores voce populi utuntur, expressé meminit Consulum civitatumque judicum. *Confluunt*, dicit *ex omnibus regni partibus cum magna frequentia Archiepiscopi, Episcopi multiq; alii Ecclesiastici viri Duces, Marchiones, Comites, Proceres, Consules & Civitatum Judices.* Quam in adversum urget constitutionem Bellarminus explodit Lehmannus.

lib. 3. de Transl Imper.
lib. 2. de gest. Frid. II.
Chron. Sp. l 5. c. 17.

Thes. XXXIII.

QVæ rerum facies sub Henrico IV. fuerit: absque stupore dici audirique nequit & legi. Certè tantum non in solitudinen redacta est Germania, usque adeò motibus agitata & concussa, ut fidem penè omnem superent, quæ tunc temporis dicuntur gesta. Discere ea licet ex Lamberto Schaffnabrugensi seu

Aſchaffenburgenſi, monocho Hirsfeldenſi in diocæſi Moguntina, qui in Hiſtoria ſua, quam perducit ad annum usque 1077. pro ſeculi ratione tàm benè ſe geſſit, ut Joſephus Scaliger miretur in ſeculo tàm barbaro tantam hominis, & in loquendo puritatem, & in temporum putatione ſolertiam fuiſſe, ut in Chronologicis noſtri temporis pudorem aliquem exprimere posſit, ſi aliquem ſenſum harum rerum haberent. Ceterùm, an non aliquando claudicet, imprimis in controverſia inter Henricum IV. & Gregorium VII. aliorum eſto judicium. Legi & hic meretur vita Henrici IV. ab anonymo quodam, nomen ſuum non auſo addere, conſcripta, quæ unà cum Vita Gregorii VII. à Bennone Cardinale Clementis III. Antipapæ ſcripta, lucem intueri cœpit in rerum expetendarum faſciculo, quem exhibuit Orthuinus Gratius, ab aliis iterum atque iterum poſteà divulgata. Adde ſi lubet Lehmanni Chronicon Spirenſe.

in libb. de Emend. temp.

Adde Barth. adverſar. lib. 49. c. 4.

Lib. 5. c. 25. & ſeq.

Thes. XXXIV.

VErbô notari fortè meretur, Henricô IV. in Italia hærente, aliquot Principes Eccleſiaſticos & ſeculares uti vocant, Forchemii, Rudolphum Comitem in Reinfeld, quem ab Henrico IV. Sueviæ Ducatum obtinuiſſe alii referunt, cui Pontifx coronam miſiſſe fertur hâc inſcriptione:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Prolixè hæc omnia referunt ſuprà laudatus *Sigebertus Gemblacenſis*. *Helmoldus*, coævus Friderici I. presbyter in Buzoen, territorii Lubecenſis vico. *Albertus Stadenſis*, monachus Benedictinus & Abbas Stadenſis, poſteà relictâ Abbatiâ Franciſcanus, ac denique miniſter Generalis totius ordinis. Ceterum Rudolphus fata-

Chron. ad ann. 1077.

Chron. Slav.

fatali prelio propè Martisburgum ab Henrico IV. prostratus dextramque mutilatus rebus humanis dixit valete & plaudite. Exitum hujus Tragædiæ laudatus Helmoldus ita describit Rudolphumque socios alloquentem refert. *Videtis manum dextram meam de vulnere sauciam. Hac ego juravi Domino Henrico ut non nocerem ei, nec insidiarer gloria ejus. Sed jussio Apostolica, Pontificumque petitio me ad id deduxit, ut juramenti honorem mihi indebitum usurparem. Quis igitur finis nos exceperit, videtis, quia in manu, unde juramenta violavi, mortale hoc vulnus accepi. Viderint ergò ii, qui nos ad hoc instigaverunt, qualiter nos duxerint, ne fortè deducti simus in pracipitium aterna damnationis. Et hoc dicens, cum gravi molestia diem clausit extremum.* Hic Rudolphus primus omnium Imperator, Germanorum liberis suffragiis electus perhibetur, qui tamen in Catalogo legitimorum Imperatorum non reperitur sed pro intruso & tyranno prætermittitur, inquit Limnæus.

Chron. Slav. lib. I. c. 29.

Tom. 4. J. P. add. ad l. 2. c. 3. n. 7.

Thes. XXXV.

NOn solùm verò quos hactenus adduximus, Rudolphus, Hermannus & Egbertus vivô adhuc Henricô IV. regium affectârunt sceptrum, sed & filius ipse Henricus V. turpiter, quam patri debebat, abjecit reverentiam, fidemque nefariè fregit. Patri namque successor à Proceribus declaratus, sanctissimo jurejurando omni administratione imperiali vivô patre renunciavit, à seditiosis tamen pellectus, contrà patrem arma corripuit, solio eum deturbaturus. Ægerrimè tulit id Imperator, *& filium*, verba sunt Autoris vitæ Henrici IV. *mitsis legatis obtestatus est, ne senem Patrem contristaret, imò ne Patrem omninò offenderet, ne se sputis hominum exponeret, ne fabulam se mundo faceret. Insuper memi-*

meminisset, quâ se sibi conditione obligasset. (scilicet cùm Rex designatur à Patre) Hostes esse non amicos, insidiatores non consultores, qui sibi talia suggesissent. Ille prorsus abnuit, & se non ulteriùs eum Patrem habiturum, quia excommunicatus esset, asseruit. Nec acquievit prius filius, quàm Pater, omni exutus dignitate miserè finiret vitam, ipsumq; ante tempus, coronam adfectantem, divinæ ultioni relinqueret puniendum. Ita sub specie causæ Dei causam egit suam. Illicò Bavariam, Saxoniam, Sueviam percurrit, Proceres attraxit omnes, ut sunt ingenia rerum novarum cupida & subintravit in regiam potestatem, tanquam sepeliisset Patrem.

Thes. XXXVI.

PRolixè hæc omnia persequntur Lambertus Schaffnaburgensis, Otto Frisingensis, Abbas Urspergensis, & ex iis Lehmannus. Urspergensis ita: *Anno Domini MCVI. mediante Henrico Juniore iamus apud Moguntiam factus est in natali Dominico totius Regni Teutonici conventus quantus per multa annorum curricula nunquam visus est, ut solum Dux Saxoniæ, Magnus nomine; quem jam gravior ætas impediebat, notaretur defuisse. Tunc Pater regalia vel imperii insignia, crucem scilicet & lanceam, sceptrum globum atque coronam filii potestati tradidit, prospera illi imprecans, illum primatibus multô fletu commendans, & ex tunc juxta summi Sacerdotis, totiusq; Ecclesiæ decreta, suæ consulturum animæ promisit. Hoc ordine Henricus, illius nominis Rex V. primùm à Patre, deinde ab universis Germaniæ Principibus in Regem jam secundò electus, ab Apostolicis quoque legatis per manûs impositionem catholicè confirmatus, acceptis ab Episcopis quàm Laicis juxta morem patriæ sacramentis, regnare cœpit.* Pater enim jam tùm Anno MXCIIX. filium Henricum V. consentientibus

Chron. Spir. l. 5.

Pro-

Proceribus imperii, successorem declaraverat, susceptâ ab eo priùs religiosô jurejurando, ne vivô patre imperium affectaret, aut quovis modo, ipsô invitô, administrationi se ingereret: quæ omnia turpiter, ut suprà adparuit, ipsumque jusjurandum filius habuit insuper.

Thes. XXXVII.

Ceterum, *Henricus Junior* (quintus) *nec ipse prospe- ratus est, in omni vita sua, irretitus similiter ut pater e- nuà sede Apostolica*, verba sunt Helmoldi. Ex communicatione enim innodatus, vix cum imperio mansit, omnia adversa sentiens. Obiit tandem, fortè animi mærore, diffidentibus post mortem ejus Principibus circà electionem novi Imperatoris, aliis Conradum Franconiæ, aliis Fridericum Sueviæ Ducem, proximis Henrici agnatis petentibusq; Principibus ad summam dignitatem evehere conantibus. Ceterûm, *Albertus Archiepiscopus Moguntinus, (nam id juris, dum regnum vacat Moguntini Archiepiscopi ab antiquioribus esse traditur) Principes regni in civitate Moguntina tempore autumnali convocat. Ipse Lotharium Ducem Saxonum in Regem cum ... qui aderant Principibus persuasit.* Quamvis vero plurimi procerum Conradum Franconiæ Ducem secuti fuerint, Lothario tamen Conradus ipse cedere est coactus. Præter Ottonem Frisingensem & Albertum Stadensem peregregiè hæc describit Carolus Sigonius.

Chron. Slav.

Otto Frising. lib. I. de gest. Frid. I.

Lib. II. de Regib. Ital.

Thes. XXXIIX.

Fortunâ non multum meliore usi sunt Hermannus Lucelburgensis & Egbertus Marchio Saxoniæ, contra Henricum IV. per factiones electi Reges. Ille e-

E nim

nim, quamvis à Sigfrido Moguntino unctus & consecratus, mox tamen est à suis desertus, & in oppugnatione quâdam lapide è muro vel turri à muliere ut quidam volunt, præcipitatô, vel secundùm alios, ruinâ portæ oppressus miserabiliter periit. Quô de videri potest laudatus *Schaffnaburgensis* & anonymus, qui carmine conscripsit libros tres, de Henrici IV. bello contrà Saxones, quem inter Autores, qui pro Henrio IV. scripsere, edidit Melchior Goldastus. Consentit & Bertholdus, ceu ut alii malunt, Bernoldus Constantiensis Presbyter, in historia sua temporis quam ab anno 1054. usque ad annum 1100. conscriptam, in tomo Scriptorum rerum Germanicarum exhibet Christianus Urstisius Egbertus, Marchio Saxoniæ Imperatoris titulum ad breve tempus usurpans in Molendino propè Brunsuigam ab Henrici militibus est trucidatus, ceu ex Autore vitæ Henrici, & Bertholdo Constantiensi est manifestum.

Thes. XXXIX.

ET tunc temporis decretum aliquod factum est, quô in Electione Regis vel Imperatoris nunquam sanguinis rationem habendam esse, constitutum. Ponimus huc verba Autoris belli Saxonici, quæ ita habent: *Hoc communi consensu probatum; Romani Pontificis autoritate est corroboratum, ut regia potestas nulli per hæreditatem cederet, sed filius Regis, etsi valdè dignus esset, per electionem spontaneam, non per successionis lineam proveniret. Si verò non esset dignus Regis filius, vel si eum nollet populus, quem Regem facere vellet, in potestate haberet populus.* Hanc constitutionem in Comitiis Forcheimensibus factam, ubi Rudolphum Ducem Sueviæ elegêre Proceres quidam Germaniæ, rebelles Imperatori suo,

Gre-

Gregorius VII. Hildebrandus anteà dictus, confirmavit per legatos suos. Et hoc modo Ottonum & Henricorum familia, in qua propter parentum merita & virtutes hactenus steterat dignitas Imperatoria, (nam quod in illis miramur, id de filiis eorum facilè speramus) omni spe cum Imperio diutius manendi est excussa. Quòd continua quasi & non interrupta electio successionem quandam secum trahere videretur, quod non ita est. *Arum. de Comit. c.4. n.23. Limnæus Tom. 1. J.P. l.2. c.3.*

Thes. XL.

MOrtuô Imperatore Lothariô ac in monasterio Lutre, quòd in ejus proprio fundo situm est, humato, Principes Regni apud Galliæ oppidum, Confluentiam, ubi Mosella Rhenum influit, conveniunt, & de eligendo Principe consilium ineunt. *Igitur Conradus ab omnibus, qui aderant, exposcitur, ad Regnumq́; levatus in palatio* AQVIS *coronatur.* Verba sunt Ottonis Frisingensis. Confirmat hæc Lehmannus: Keyser Lotharius ist ohne Leibes-Erben verstorben/ darumb Er vor seinem Ende die Königliche Kleinodie seinem Tochter-Mann Henrichen zu Beyern und Sachsen übergeben / und Ihne hiemit an seine Statt zum Nachfolger am Römischen Reich verordnet / demnach aber Hertzog Conrad von den Reichs-Fürsten erwehlet / hat Er mit derselben Hülff diesen mächtigen Fürsten / die Regalia dem Reich wieder zuzustellen / mit Gewalt angehalten / und wegen seiner erzeigten Widersetzigkeit / beyde Hertzogthumb Beyern *Lib.1. c. 22. de gest. Frid. 1. Chron. Sp. lib. 5. c. 50.*

und Sachsen öffentlich in Versamblung der Reichs-Stände zu Goßlar entsetzt/und Sachsen March-Graff Albert zu Brandenburg / Beyern March-Graff Leopold zu Oesterreich eingeräumbt / darüber gedachter Herzog Heinrich aus Unmuth und Bekümmerniß des folgenden Jahres 1139. sein Leben geendet.

Thes. XLI.

ANnô ab incarnatione Domini MCLII. decedente ab hâc luce vernali tempore Bamberga piissimô Rege Cunrado III. nonas Maji, in oppido Francofurt de tàm immensa transalpini Regni latitudine universum (mirum dictu) Principum Robur, non sine quibusdam ex Italia Baronibus, tanquam in unum corpus coadunari potuit, ubi cùm de eligendo Principe primates consultarent, (nam id juris Romani Imperii apex, videlicet non per sanguinis propaginem descendere, sed per Principum electionem Reges creare, sibi tan-
Lib. 2. de gest. Frid. I. c. 1. *quam ex singulari vindicat prerogativâ) tandem ab omnibus Fridericus Dux Suevorum in Regem sublimatur.* Verba sunt patrui Friderici, Ottonis Frisingensis. Et verò ob eximias virtutes eum Conradus adhuc superstes commendaverat principibus imperii, præteritô legitimô suô filiô, cujus ætatem jam maturam fuisse referunt Historici. Electus itaque à Principibus, & Aquisgrani eôdem annô, teste Ottone ab Arnoldo Coloniensi Archiepiscopo, coronatus est. Princeps optimus, qui *nullos sibi transire dies otiosos passus est. Eos se ratus perdidisse, in quibus non aliquid de utilitatibus imperii, de jure & justitia inter omnes gentes conservanda disposuisset.*
ib. 1. c. 14. Verba sunt Radewici, Frisingensis Canonici,

Otto-

Ottonis Episcopi Sacellani ac familiaris: qui cùm Otto morte præventus opus de Friderici Barbarosſæ, Italis ità à ruffâ barbâ dicti, gestis non absolvere posset, quasi acceptâ ab hoc Scriptore lampade, reliquum spatium decursus, duobus ejus libris, duos de ejusdem Friderici gestis adjecit. Sub hoc Friderico factiones Gibellinorum & Guelphorum cæpere, quæ nomina diu remansêre, his Pontificis, illis Cæsaris partes sequentibus. De origine eorum non convenit. Prolixè verò exposita est à Melchiore Goldasto in Reichs Satzungen. Adde Limnæum. *Pag. 307. Tom. 1. J. P. l. 1. c. 7. n. 62.*

Thes. XLII.

HEnricus, quem Sextum vocant, Patre Friderico ex consensu Procerum imperio præfectus, illôque expeditionem in terram sanctam moliente, unà cùm conjuge Constantiâ, Rogerii Siculi Regis filia à Papa cœlestino coronam accepit, qui cùm novo Cæsari ad pedes Pontificis prostrato imposuit coronam, pede rursus decussit, ceu notat Baronius. Quantum verò operetur coronatio Papalis, addatque electo Imperatori, vexata est quæstio, in quam curiositas nulla nos immittet, contenti legisse ea, quæ Oraculum Juris Publici subinde à nobis salutatum habet. *Tom. 1. J. P. l. 2 c. 4. n. 52. & seq.* Obiit tandem optimus Imperator Fridericus, aquis suffocatus, ceu refert, qui expeditioni in Palæstinam, Pontificis jussu susceptæ interfuit: Tageno, Decanus Pataviensis, editus à Marquardo Frehero. *Ad Ann. 1190. in Tom script. rer. germ.* Quamvis aliter mortem Imperatoris exponat Theodoricus de Niem, variorum Pontificum à Grægorio XI. scriba, post Episcopus Verdensis lib. de Privilegiis & juribus Imperii. Sic rerum potitus est Henricus, quem Sextum

vocant,

vocant, Princeps optimè educatus, Perinde ut *liberos suos omnes Fridericus Imperator literis adprimè erudire fecit*: nulli virtute & prudentiâ secundus, ita ut si fata vitam ipsi concessissent, spem tunc omnes habuerint, per eum Germaniam pristino splendori restitutum iri, ceu quidem constat ex Ottone de S. Blasio, coævo, monacho ordinis Benedicti in monasterio S. Blasii in diœcesi Constantiensi, autore Appendicis Chronici Ottonis Frisingensis, relato in tom. Script. rer. Germ. ab Urstisio.

Thes. XLIII.

HEnricus tertium in Italiam abituriens impetravit à Principibus ut Fridericum, filium, vix quatuor annorum puerum, Successorem Imperii declararent, in quod plurimi, exceptô inprimis Archiepiscopo Coloniensi, tunc quidem consenserunt. Siciliâ itaque, ubi cum matre morabatur Fridericus, eum evocavit per fratrem Philipum Henricus, ut in Imperio confirmatus certiorem succedendi spem haberet. Ceterum vis fati antè abstulit Henricum, quàm quidem filium adduci videret. *Mortuô enim Henricô, Philippus Suevorum Dux frater ejus eô tempore exierat de Alemannia, ut veniret ad ipsum in Siciliam, processeratq; usque ad montem Flasconem, propè Viterbium, ubi de morte Imperatoris nunciatum est ei: quare statim ab Italia recessit, & laboriosè pervenit in Alemanniam, ubi jam Principes, juramenta sua postponentes, (nam procurante Henrico Imperatore, Principes Alemanniæ penè omnes filium parvulum ipsius, Fridericum, adhuc in cunis vagientem, sibi assumserant in Regem, fidelitatemq; ei juraverant, & literas de hoc facto cum sigillis suis transmiserant Imperatori) de electione novi Imperatoris tractare cœperunt. Cupientes diripere hæreditates,*

quæ

...ad præfatam Imper. generationem pertinebant. Hæc Carpzovius ex Abbate Ursbergensi, cui aliàs nomen fuit Conradus à Liechtenau. *Comment. in L. Reg. Germ. C.XI.Se.3.1 n. 22.*

Thes. XLIV.

MAgnum Chronicon Belgicum, scriptum à Canonico regulari Ordinis S. Augusti tempore Friderici III. editum à Johanne Pistorio ita habet. *Imperator Henricus videns Regem Alemanniæ & Imperium Romanorum propter frequentes mutationes Imperatorum multa mala perpessum, priusquam vota Principum in persona Imperatoris possent convenire, ordinavit, ut amplius electio non fieret, sed solam sanguinis successionem imperium conferretur, ita, ut qui propinquior Imperatori esset, hæreditariè fieret Imperator.* Quicquid tandem hujus sit factum, certè in fumum abiit. Tutelam Friderici & imperii administrationem Henricus Fratri Philippo detulerat, plurimis Principum consentientibus imò & Philippum Imperii defensorem constituentibus, usque dum pupillus tàm ab ipso quàm ceteris principibus electus in Alemanniam veniret. Interfuerunt huic Philippi substitutioni Ludovicus Dux Baxariæ, Bernhardus Dux Saxoniæ, Dietericus Marchio Misniæ, Episcopi Magdeburgensis & Salzburgensis cum ceteris Episcopis & Baronibus per Thuringiam, ceu discere est ex Ottone de S. Blasio. *vid. Dn Limn. Tom I. J.P. l. 2. c.3.n.2.*

Thes. XLV.

REm omnem interrupit Innocentius tertius Pontifex, rescindens promissa Henrico de successione filii facta, vetansque Principibus, ne Philippo Imperium committerent. Et verò tantæ auctoritatis tùm erat Romanus Præsul, ut non dubitârint statim quidam

Prin-

Principes ad præscriptum illius eligere Bertholdum Zaringiæ Ducem, principem valdè pecuniosum, qui conditor urbis ac castri Brisacensis habetur. Recusavit verò prudenter imperium Bertholdus, imò partes Philippi est secutus. Ita ex Urspergensi in gestis Philippi Lehmannus: Die Ertz-Bischöffe zu Trier und Cöln haben zu sich gezogen den Bischoff von Straßburg/Pfaltz-Graff Heinrichen am Rhein/ den Hertzogen aus Braband/ Walram Hertzogen zu Limpurg/Albrecht Graffen von Dachsburg/ und in der Stadt Cöln zum König erwehlt Hertzog Berthold von Zäringen/ welcher aber aus sondern Uhrsachen diese dignität abgeschlagen.

Chron. Spir. lib. 5. c. 70.

Thes. XLVI.

CEterùm Principes Philippi partium comitiis Mulhusi (alii volunt Erffurti) celebratis, confirmarunt electionem Friderici, Philippum interim Regem renunciantes obsequiumve spondentes. Hi, qui Regem elegerant Philippum, totum negotium statim ad Innocentium Pontificem detulêre epistolâ, cujus initium exhibet Baronius. *Reverendo in Christo Patri, Domino Innocentio, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifici, Germaniarum Principes & Magnates in Christo filii: Magdeburgensis Archiepiscopus, Treverensis Archiepiscopus, Bisnilti næ sedis Archiepiscopus, Ratisponensis Episcopus, Constantiensis Episcopus, Wormatiensis Episcopus, Spirensis Episcopus, Brixinensis electus, Hildesheimensis Episcopus, Imperialis aulæ Cancellarius, Abbas Fuldensis, Abbas Herswaldensis, Abbas de Tergente, Abbas Elvacensis: item Rex Bohemiæ, Dux Saxoniæ, Dux Bavariæ, Dux Austriæ,*

Tom. 10. Ann. 996. n. 60.

Dux

Dux Mor[illegible], Marchio de Ravensperg, alii Alemanniæ Nobiles. Et infrà. Magnitudini vestræ duximus declarandum, quod mortuo inclyto nostro Dominô Henrico Romano Imperatore Augusto, collecta multitudine Principum, illustrem Dominum nostrum Philippum in Imperatorem Romani Solii ritè & soleniter elegimus. Cetera non addit Baronius. Philippus interim *causam suam agens & ut necessitas eum compulit, ab omnibus auxilium petens, omnes penè principes muneribus sibi conciliat, urbes Reges suscipit, fidem sibi fieri ab omnibus jubet, nomen Regium sibi adscribit, & apud civitatem Vangionum in albis Paschalibus coronatus progreditur.* dicit Gothofredus, monachus ad S. Panthaleonem intrà muros Coloniæ Agrippinæ, clarus annalibus ab anno 1162. usque ad annum 1237. quô tempore vixit sub Friderico II. Exhibuit eum tenebris erutum nunquam satis laudandus Marquardus Freherus. *Tom. Script. rer. Germ.*

Thes. XLVII.

Pontifex intereà, cui cum Bertholdo res non successerit, eligi curavit Ottonem Ducem Saxoniæ, Henrici Leonis filium, fortissimum Heroëm tum temporis in Anglia apud Avunculum Richardum degentem. Post sibi denunciatam per Principum Legatos, Emichonem Leiningensem & Albertum Dachsburgensem, Comites, electionem; itineri se accinxit Otto. Elegerunt eum, ceu ex Epistola ad Innocentium III. data constat:

Adolphus Coloniensis Archiepiscopus
Bernhardus Paderbornensis Episcopus.
Thietmarus Mindensis Episcopus.

VVittichindus Corbeiensis Abbas.
Gerardus Tudensis Abbas.
Eribertus VVerdensis Abbas.
Henricus Dux Lotharingiæ.
Henricus Comes de Kuke.

Electionem mox subsecuta est Coronatio, sic enim habent verba: *Invocatâ itaque S. Spiritus gratiâ prædictum Dominum Ottonem; Christianæ fidei cultorem devotissimum, atque S.R. Ecclesiæ advocatum & defensorem fidelissimum, & judiciariæ potestatis observatorem justissimum, de longa & continua Regum prosapia ex utraq; linea specialiter editum, ad Romani Regni fastigium justè & rationabiliter elegimus & sicut debuimus ipsius electioni consensimus, ipsumque in Augustorum sede à Carolo M. apud Aquisgranum huic dignitati deputata locavimus, & coronâ & Regni diademate per manum, Domini Adolphi Coloniensis Archiepiscopi, ea qua debuit solennitate feliciter coronavimus.*

Thes. XLIIX.

PAulò post, ceu ex Urspergensi, Gothofredo Monacho, Ottone de S. Blasio constat, Philippus scelestâ manu Ottonis wittelsbachi sublatus, Ottoni suas res sibi habere permisit. Is post primam coronationem ab Adolpho Coloniensi factam, suasu Alberti Archiepiscopi Magdeburgensis & Bernhardi Saxoniæ Ducis, indicit Comitia Halberstadii. *Indicta est*, inquit Arnoldus Lubecensis, *curia in* Halberstadt/ *ubi convenerat maxima pars Prælatorum & Principum Saxoniæ & Thuringiæ, nec defuit Herbipolensis Otto. Omnes igitur*

Chron. Slav.

igitur Principes, qui convenerant, pari votô & unanimi consensu Ottonem in Romanum Principem & semper Augustum elegerunt, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti: Archiepiscopô, qui primam vocem habere videbatur, inchoante, prosequente verò Bernhardo Duce cum Marchione Misnensi & Landgravio Thuringiæ cum aliis, ad quos electio Regis pertinere videbatur. Proximè & secundùm hæc, autoritate Archiepiscopi Moguntini & Henrici Comitis Palatini, urgente negotium Conrado Antistite Spirensi, qui idem Regni Cancellarius regalia Imperii in manibus habebat, altera indicta sunt Comitia Francofurti ad Mœnum. Convenêre ibi ex Bojoaria, Suevia & Franconia Principes & Dynastæ tantô numerô, ut jactatum fuerit, non in pluribus annis tot Nobiles, tot potentes insimul venisse. Gothofredus monachus, collector magni Chronici Belgici de hoc conventu sic differit: *Apud Francofordiam curia celebris habita est quinquaginta Principum, à quibus omnibus Philippô Rege occisô, Rex Otto hujus nominis IV. votiva concordia & unanimi inspiratione in Regem est declaratus, & in Regno feliciter sublimatus, sicque divinâ sibi favente clementiâ totius Regni monarchiam solus obtinuit. Ibidem repræsentata sunt ei imperialia cum plenitudine potestatis & honoris & benevolentia favoris.*

Thes. XLIX.

INvalescentibus posteà diffidiis inter Innocentium & Ottonem, ex communicationis fulmine in Imperatorem detonuit Pontifex, ita ut ille à [illegible] desertus, belli etiam longinqui sumtibus exhaustus, de imperio diutius retinendo desperaret.

Quin cùm Principes in Fridericum Siciliæ Regem Henrici VI. filium omni studiô ferrentur, cessit imperio sine omni spe vel cogitatione ejus recuperandi, Otto, etsi nec à titulo abstineret, nec regalia è manibus dimitteret. Confirmat hæc Ursbergensis: *Otto*, inquit, *excommunicatur. Tunc Principes Alemanniæ, Rex videlicet Bohemiæ (qui paulò ante ex Duce assumtus fuerat ab Henrico IV. ad Regnum) Dux Austriæ, Dux Bavariæ Landgravius Thuringiæ & alii plures convenientes, Fridericum Regem Siciliæ elegerunt, cui etiam olim, cùm adhuc in cunis esset, juraverant fidelitatem.* Romæ ab Honorio tertio solenniter coronatus, post aliquod tempus, mortuâ Constantia Arragonicâ, cum Jole, Johannis Regis Hierosolymitani filia nuptas ibidem celebravit. Pontificis suasu expeditionem in terram sanctam suscipiens, tâm feliciter res gessit, ut annô 1228. ceu plurimi volunt, pulsis Saracenis, Sultanôque Ægypti ad pacis conditiones qualescunque ineundas coactô, ipsô festô Paschatos in urbe Sancta, coronâ Regni Hierosolymitani magnô adplausu insigniretur.

Thes. L.

ANtequam in Italiam ivit, petiturus coronam Cæsaream Imperator, in Comitiis Francofurti indictis iter quod Romam haberet, principibus exposuit, ut præstò sibi essent, ceu quidem more hactenus erat receptum. Cùmque varia negotia tùm in Italia tûm Regno & terris hæreditariis præsentiam suam desiderarent, ne ipsô absente damni quid pateretur, hactenus miris modis concussa Germania, rogavit, ut si per Ludovicum

tum Bavariæ Ducem, cui filium commisit, quemque novum Regem in consiliis & Reipublicæ negotiis juvare voluit, filium Henricum in Germaniam mitteret, cujus rationem haberent, eumq; Regem constituerant Principes. Annô itaque 1222. ante laudatus Dux Ludovicus, Regem Henricum Principibus Imperii repræsentavit, quem illi Regem elegerunt, ita ut Archiepiscopus Coloniensis ipsô Festô Ascensionis Christi in Regem Romanorum, Henricum consecraret. Rex itaque factus Henricus, omnia egit consensu eorum, quos Pater in administratione Imperii ipsi adjunxerat, qui subinde varios indicentes conventus pro communi Patriæ salute sedulò consultarunt. Annô 1225. Comitiis Francofurti indictis ipsi in conjugem data est filia Leopoldi Ducis Austriæ, eaque Imperatrix renunciata & coronata ab Archiepiscopo Coloniensi. Ceterùm Henricus nescio in quos nequitiæ magistros cadens, turbas moliri contraque Patrem insurgere tentabat, à quo tamen in herba quasi est oppressus. *Adscendit in Alemanniam Imperator & captô filiô propriô Henricô, misit eum in Apuliam, ibique fecit ipsum usque ad finem mortis sicut proditorem in carcere custodiri*, dicit monachus Paduanus incerti nominis, vivens tempore fatalis interregni de quo paulò post notus tribus libris, quibus res sui temporis maximè in Lombardia & Marchia Tarvisina persequitur.

Thes. LI.

POstquam Henrico malè res cesserat, Conradum puerum, quem Regem Hierosolymæ jam

tum declaraverat, ut Regem Romanorum eligerent, Principibus persuasit Imperator Viennæ tunc degens. Posteà comitia Spiræ indicens renovari curavit electionem. *Fridericus Imperator ab Austria ascendit usque Ratisbonam, Principibus apud Spiram ad colloquium evocatis: ubi cùm quidam Principes convenissent, ab eo ad convivium invitantur. Filium etiam suum Conradum, adhuc puerum priùs in Austria Regem Teutoniæ designatum, denuò ab ipsis obtinet adprobare.* Verba sunt Gothofredi monachi. Non dubitârunt tamen quidam imperii Principes, Henricum, Landgravium Thuringiæ eligere Imperatorem, qui plurimis bellis obrutus tandem obiit, vix inter armorum continuum strepitum dulcedinem Majestatis Imperatoriæ persentiscens.

Chron. ad Ann 237.

Thes. LII.

POst Henricum Annô 1247. Fridericô adhuc & Conradô vivô, Principes quidam Imperii, imprimis Episcopi, Wilhelmum Hollandiæ Comitem elegêre. Ceu constat ex Fragmento Historico, quod M. Alberti Argentinensis Chronico præmitti solet. Quod itaque Abbas Trithemius Wilhelmum hunc Friderici coætaneum ab Electoribus electum scribat, veremur sanè, ne id veterum testimonio destitutus faciat; & secundùm mores sui ævi loquatur. Et quidem diu cum Imperio non fuit Wilhelmus bellô maximè contrà Frisios, quô occubuit, clarus. Perpetuum ipsi fuit bellum cum Conradô, eorum enim qui Conradi partes sequebantur, *favore tenuit bellum contrà Ecclesiam & terram adversariorum suorum. devastavit incen-*

incendio & rapinâ usque ad mortem patris sui Friderici, inquit Autor fragmenti historici paulò antè citatus.

Thes. LIII.

QVæ mortem Friderici II. Conradi IV. & Wilhelmi insecuta est omnium rerum perturbatio, quâ tantùm non omne decus suum perdidit Germania, vix fidem apud homines invenit. Scissi enim Principes, qui electuri Regem convenerant Francofurti, alii Richardum Anglum, alii Alphonsum Castellæ Regem con[illegible]ituere, quorum hic recusavit dignitatem Imper[illegible]m. *His temporibus*, inquit Chronicon Hirsaugi[illegible]e, *cùm non esset Rex in terris, qui motus pradonum reprimeret, omnia per tumultum sine lege, sine ordine pro libitu fiebant.* Quæ utique sunt longè verissima, *Arma ubique, leges ferè nunquam dominabantur*, inquit Huldericus Mucius, *quisque occupat, quantum potuit per vim. Ex usu fuit Principibus nullum Imperatorem haberi.* Abhinc numerari solet famosum illud interregnum, de quo si lubet, vide Lehmannum. Mera namque tunc fuit Anarchia in imperio, ejusque facies tàm misera, ut posteri vix fidem sint habituri iis, quæ gesta tunc memorantur.

Lib. 22. rer. Germ.

Chron. Spir. l. 5. c. 95.

Thes. LIV.

SUb hoc tempus alia videtur cœpisse eligendi ratio, quâ ad pauciores Principum familias restricta, magnam in electione eos, quos hodie Electores vocamus, autoritatem nactos verisimile est.

Abbas

Ad Ann. 140. Abbas Stadensis in hæc tempora qui incidit, ita loquitur: *Papa Gregorius, insolentias metuens Imperatorias contrà Ecclesiam, Principes Germaniæ super electione alterius solicitavit, & nihil profecit, quia quidam Principes rescripserunt, non esse sui Juris Imperatorem constituere.* Addit deinde: *Ex prætaxatione Principum & consensu eligunt Imperatorem Treverensis, Moguntinus & Coloniensis, & de Secularibus eligit Palatinus, quia Dapifer est, Dux Saxoniæ, quia Marschallus, & Marchio de Brandenburg, quia Cammerarius: Rex Bohemiæ quia pincerna est, non eligit, quia non Teutonicus.* Sed hæc obiter, sunt enim ex nostrum institutum.

Thes. LV.

Clav. Epist. Hist.

Functô fatis Richardo, & Gregoriô X post triennes Cardinalium altercationes in Papalem thronum evectô, respirare cœpit à calamitatibus suis Germania, quibus durante Interregnô miserè conflictabatur. Igitur querimoniis afflictorum motus Gregorius, consiliô initô movit Electores, ut sibi de more Regem designarent Romanorum, ni maturarent, vacanti imperiô semet prospecturum. Post varia igitur eligentium vota ob deprædicatam magnanimitatem & prudentiam, Rudolphus Habsburgensis Comes eligitur. Princeps optimus, *qui rebelles omnes vicit, & ad obedientiam sibi & Imperio obligavit, pacemque in omni terra circumquaque ab Italia usque in Austriam, itinerantibus firmissimam restituit,* ait Chronicon

Spons-

Sponsheim. Qui dignitatem Imperii collapſam poſtliminio redire juſſit; qui Rempublicam fatis deſtinatam & fortunæ ludibrio expoſitam firmavit, qui Germaniam tantùm non in cineres redactam facie priſtinâ redonavit, qui omnia bene, feliciter. Hic fuit ex ea, quâ hodie quid quæſo illuſtrius, quid excelſius? familiâ Auſtriacâ, quæ continuâ ſeriè ab Alberto Auſtriaco Germaniæ dedit Imperatores duodecim. *Deus*, inquit Julius Pflug/ Epiſcopus Numburgenſis, *pro clementia ſua infinita, ſummam rerum noſtrarũ ad gentem Auſtriacam detulit, ad eam nimirùm gentem per quam quantum tribuere vellet, Chriſtianis gentibus declaravit, cum ſignum crucis oſtenderet tempore eô, cùm Rudolpho, qui primus ex ea familia Imperator creatus fuerat, Aquisgrani, more majorum Diadema imponeretur.* I nunc, quem anxium habet ſplendor divæ familiæ Auſtriacæ, & libertati Germanicæ obſtare blatera, hanc uni familiæ hactenus adſtrictam electionem. In ſtuporem datus mente concipere nequis, quàm hôc modô & patriæ conſultum ſit & tibi, magis ac mereris. Sed ne quid ſceleris infauſtum hoc ſeculum relinquat intentatum, non dubitant multi tenebriones, ſcævi nominis, ceci galeâ tecti inter quos infame agmen ducit perſonatus ille Autor Hyppolitus à Lapide, ſparſis hinc inde in vulgus libellis ſeditioſis, famam optimorum Imperatorum per ſummum ſcelus dilacerare, gravi ſacrilegiô caput ſuum obſtringentes. Anne hæc eſt debita merces eorum, qui aliis inſerviendo conſumuntur? Nos diſcurſu noſtro, cui in Carolo M. initium dedimus, in

Rudolpho Habsburgico, æternô familiæ suæ, quæ gloriæ ipsi primitias debet, ornamentô, ponemus finem. Si prius de hodierno eligendi modo quædam subjunxerimus.

Thes. LVI.

POtest v. in universum hodierna eligendi ratio ex Aureæ Bullæ Caroli IV. comprimis *Tit.* 2. quàm optimè addisci, nisi quod IIX. Electorat9 tempore conditæ Bullæ sit ignoratus. Ceterùm ut ritè peragatur electio, varia requiruntur, quæ in antecedentia, intermedia & subsequentia distinguit Limnæus. Antecedentia sunt I. ut Elector Moguntinus intrà mensem à die primo, quô resciverit Imperatorem vivere desiisse, mortem illius futuramque electionem significet. II. Ut Electores acceptis literis ipsi vel per Legatos iter adgrediantur ad locum quò vocati sunt. III. Ut Electores debitô modô conducantur. IV. Ut in urbe Francofurtensi comparcant, quivis certô comitatu. V. Ut Francofurtenses securitatem, tutelam & defensionem Electoribus juratò promittant. VI. Ut Francofurtenses nullum præter Electores admittant in suam civitatem, vel absque mora expellant, si electio institui debet. Confer. Goldast. Ad Intermedia refertur (1.) ut electio fiat Franckofurti, quamvis ab hâc parte legis hactenus aliquando sit recessum, nec fortè malè, si necessitas ita jusserit. (2.) ut fiat in sacrario Templi S. Bartholomæi. (3.) Ut ibi missa celebretur, quamvis secedere soleant tantisper, qui à Romano Præsule divortium fecerunt Electores. (4) Ut peractâ missâ omnes Electores sive eorum Nuncii accedant ad altare ubi missa

Tom. 1. J. P. lib. 2 c. 3. n. 33.

Vid. A. B. c. 1. §. 11.

A. B. c. 1. §. 10. & seq.

d. c. 1. §. 22.

Polit. Imperial. part. 1. p. 107. & seq.

A. B. c. 2. §. 5.

missa est celebrata & juramentum præstent, circà quod quæ sint consideranda, vide apud Arumæum & Limnæum.(5.) Ut præstitô juramento secedentes in facellum Regem Romanorum collegialiter eligant, ubi rursus tempus, ordo, numerus & votorum publicatio attendi meretur. Electione factâ novo Imperatori commendatur imperium conditionibus de quibus ante conventum est. Confirmat verò ille omnibus Imperii statibus omnia jura, privilegia, immunitates & exemtiones, quibus in Imperio usq; ad diem electionis sunt gavisi. Confer illos, qui actus electionum describunt apud Goldastum. Sed ne instituti nostri immemores in vastum rapiamur Oceanum, subsistimus. Pro incolumitate Imperii nostri, adeòq; & divâ Austriacâ gente calida nunquam non, ut civem bonum ut subditum bonum par est, vota facientes. VIVE DIU MAGNE IMPERATOR, VIVE DIU CÆSAR INVICTISSINE, AUGUSTO PROBIOR, TRAJANO FELICIOR. DEUS TE SERVET, LEOPOLDE JUSTE. VINCE INIMICOS, PROSTERNE CHRISTI ET TUUM HOSTEM!

Ad A.B. Disc. 2 ibid. loco suprà citato.

Polit. Imper. l. Disc. 19.

ERRATA.

[illegible] lin. 21. l. formæ. th. 2. l. 23. l. nostræ. th. 8. l. 20. l. scriptor. th. 9. l. [illegible] th. 10. lin. ult. post. facta adde null. th. 18. l. 2. leg. VVindu- [illegible] vel VVittichildum. th. 19. l. 5. post postmodum add. seu th. 20 l. 2. post Regni. add. &. th. 25. l. 14. leg. Henricum. th. 34. l. 3. post For- [illegible] add. elegisse. th. 35. l. 1. leg. quem. l. 2. post Egebertus add. de quibus paulò post. th. 38. l. 17. post Urstisius add. . th. 42. lin. 14. post interfuit, dele , . ibid. l. 12. leg. Gregorio. th. 46. l. 19 leg Bisnuti- [illegible] th. 47. l. 2. leg. successerat. th. 81. 36. pro Ludovicus leg. Lotharius.

IMpete terribili dum trux furit hostis in oris
Austriacis, mortes minitatur acinace grandi;
Patresque plebesque tremunt. Magnus LEOPOLDUS
Armis opponit crudelibus arma, cruentos
Frangit Turcarum umbones *commilite Jhovâ*
Patresque plebesque applaudunt vota precesque
Effundunt Jhovæ, Austriacumque Heroa celebrant,
His quoque Te socias, simul & sublimibus ausis
Adseris egregiè Solii fastigia, Jura
Induperatorum, tua mens patet altior, altum
Jena insistit iter. Modò perge, & fortiter urge,
Sic eris Austriaci certò nova gloria Cœli.

GENEROSO
Domino Autori amicè
gratulat.

Johann - Volk Bechmann/ D.
& Præses.

OLim qui natus, legitur nunc Cæsar in orbe,
Quô tu Teutonicos AUSTRIA diva beas.
Hoc, Tibi qui civis generoso sanguine natus,
HÆCKHELBERGERI pagina docta refert.

Virtute & eruditione æquè ac generis splendore illustri Domino Respondenti autori doctissimæ dissertationis devinctum animum testatur, deque egregiis gratulatur conatibus

Christianus Dietericus Ackenhusen/ Brunsuigius Saxo.

Sonnet.

Zwei Wege sind / die uns zur Burg der Ehren bringen
Da ein vons Himmels Glut ganz angefeurter Geist /
Sich vom gebückten Volck der schnöden Erden reist /
Und pflegt zum güldnen Feld der Sternen Sich zuschwingen.
Dort wo die kluge Schaar mit Götter-gleichen Dingen
In stiller Leebens-Lust vergnügt die Sinnen speist
Durch die gelehrte Schrifft; und wo uns Mavors weist
Der blanken Degen Staal / und Feuer-Kugel klingen
Beim grassen Mord-Getön. Darum / mein ander Ich
Und wehrter Pallas Sohn / darum / die weil du Dich
Zu des Apollens Fuß hast eher wollen sezzen
Als du Bellonen schaust / verdienstu grossen Preis.
Geh ferner diese Bahn mit nimmer-müden Fleis;
So wird mein Oesterreich Dich einsten hoch ergezzen.

Dieses geringfügige wolte dem Herrn Antwortenden / seinem mehr als Brüderlichgeliebten Freunde zu bezeugung seiner Schuldigkeit Glükkwünschend hinzusezzen / desselben Treuverbundner Diener und Knecht

Georg Seifrid Kornfeil / von Weinfelden / Eques Austrius.

 CARO-

CAROLUS MAGNUS calamô ut resurgat,
CAROLUS CALVUS calamô ut resurgat
CAROLUS CRASSUS calamô ut resurgat
CAROLUS autor.

CAROLUS QVARTUS calamô ut resurgat,
CAROLUS QVINTUS calamô ut resurgat
CÆSARES PLURES calamô ut resurgant
CAROLUS autor.

INde dum pingis calamô eruditô
CÆSARES fortes, CAROLOSque fortes,
Arduum tractas, calamusque spondet
Ardua nobis.

INde dum scribis calamô politô
IMPERATORES, celebres DYNASTAS,
Et LEOPOLDI regimen canendum
Debitor ornas;

TE LEOPOLDI beet ORA NOSTRI,
Te LEOPOLDI beet AURA NOSTRI,
Te LEOPOLDI beet AULA NOSTRI,
Te beet, opto.

Jenæ tuus ad quavis pransus
hæc fudit

Georg-Wilhelm von Werthern/
Eques Thuringus.

Wie

Wie man im Teutschen Reich die Römisch Krohn erlangt/
Und in was güldner Blüh / Sie annoch sey zufinden
Bey unsrem Oesterreich? das zeigt mit klugen Gründen
Sein angefrischter Sinn / in dem die Tugend prangt.
Demnach wird gleichfals Jhm als einem werthen Sohn
Des Vaterlandts / wie auch der Weisen Saalaninnen:
Vor Sein so Edlen Geist / auf Pallas hohen Zinnen
Zu theil auch werden einst / die Edle Ehren-Krohn.

Mit disem wenigen wolte Seinem vielwehrtem Freund / zur Bezeügung schuldigster Gewogenheit / Glückwüntschend in Eyl begegnen.

Sigmundt Maximilian Räid.

SÆpiùs ipsa viros tulit Austria terra stupendos,
JurisConsultos Austria terra tulit.
Austria terra tulit mundi miracula, CLARUM
FORSTNERUM felix Austria terra tulit.
Quid de FORSTNERO recinam, cùm laude vel omni
Sit major? potiùs conticuisse juvat.
Nec noster KORNFEIL, quem nunc miratur Jena,
Carmin[illegible] qui dignus, prætereundus erit.
[illegible] quid de CAROLO dicam, dum lemmata promit?
[illegible]m prodit, CAROLUS quis sit abunde pater.
[illegible] est & erit verum, verumque manebit:
[illegible] VIROS CLAROS AUSTRIA TERRA TULIT.

Hæc adjicere voluit, debuit

Hans Christian von Werthern.

Wie hart das ädle Bild Sophia Dich gefangen
Durch Ihren schönen Glanz / mein und der Musen Freund /
Das zeigen diese Sätz' und auch daraus erscheint
Daß Du zu Tag und Nacht Ihr brünstig nachgegangen.
Du spartest keinen Fleis / du scheutest keine Mühe
Bis du Sie einst erlangt. Und wer wolt sein so wild
Der nicht mit Herzens-Lust nach diesem schönen Bild
Der Götter besten Gab durch alles Ubel ziehe?
Wer wolte nicht mit Fleis das bittre Meer durchgründen
Der reinen Wissenschafft? die uns zu Menschen macht
Ja mehr als Menschen; die des Unverstandes Nacht
Vertreibet; die uns lehrt die Götter Höhe finden.
Denn wer die Ehren-Burg gedenket zubesiegen
Geht unverdrossen fort den rauhen Dörner-Steg:
Dieweil Ihm wol bekand / daß niemals dieser Weg
Der uns zur Tugend führt / sei ohne Schweis bestiegen.

Mit welchen geringen wolte dem Herrn Urhebern dieses / als seinem Herz-Geliebten Freunde eine Anzeigung seiner schuldigsten Dienst Geflieſenheit darstellen / dess[illegible] ganz Ergebener

Hector Ferdinand Kornfeil / von Felden / Eques Austrius.

ENDE.